

aliâs effoeta permanissent. Quæ omnia adeo clare monstrant, non ficta ista gentilium idola; sed DEUM OMNIPOTENTEM, totius esse Medicinæ Autorem, omniaque bona & salutaria, quæ hodie adhuc, præsertim in morborum curatione a Medicis peraguntur, non a viribus eorum humanis; sed divinis, divino auxilio, directione & benedictione præstari; iterum dico totius Medicinæ, subintelligendo simul reliquas cum ea partes connexas: *Chirurgiam sc. Artem obstetriciam, Pharmaciam, &c.* Hæc eo magis a nobis Christianis sunt asseveranda, omnique reverentia ac gratitudine prosequenda, quo magis præter Ovidianum istud:

*Ni Deus adfuerit*

multi apud Ethnicos scriptores, præsertim HIPPOCRATEM & GALENUM egregii loci occurrant perspicue idem affirmantes, de quibus hac vice solum provoco ad HIPPOCRATEM & ea, quæ CONRAD. GESNERVS in vita Galeni Operibus ejus præfixa sub nota marginali, *de pietate Galeni in Deum*, in compendium redacta, recenset.

§. III.

Sed omnibus prædictis non obstantibus, quanto in contemptu, reverentiæ ac gratitudinis loco, erga *supremum Medicinæ Auctorem & Directorem*, ejusque divina beneficia medica, fragili hominum generi concessa, plerumque hoc ævo habeantur, res est omnibus fere nota. Temeritas enim ævi eo usque aberrat, ut juxta vulgatum istud:

*Fingit se Medicum &c.*

eos non solum pro Medicis habeat, (quasi Medicina res esset sine scientia, conscientia, judicio, & præcipue sine auxilio divino, a quovis pro lubitu suscipienda & peragenda; aut DEO nulla de sanitate vel vita debite servata, vel per Medicos tales temere deperdita reddenda esset ratio) qui ne nomine quidem Medicorum digni; sed & contra Medicorum verorum